

nes, strenuos, impigros, alacres. Ideo quando tales describimus, barbatus homo est, dicimus. Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Caput nostrum Christus est, resuscitatus ascendit in Cælum, & venit Spiritus Sanctus à capite ad barbam &c. Ita Spiritus Sanctus, missus ab exaltato Christo in Apostolos, unguentum est à capite descendens in barbam. At Spiritus Sanctus veniens super Apostolos, non eos fortes invenit, sed fecit. Num est barba virtutis, in comparatione ad id, quod demittitur in barbam, tanquam infirmus? Si barbatus homo intelligatur fortis, tunc ea est virilis ætatis, in comparatione ad infantiam, atque pueritiam. fol. 586. lib. 10. c. 30. Christus, cui, sicut barba capiti, sic adherentes perfecti, & fortes Apostoli, tunc ejusdem capitis unguento maduerunt, quando ejus Sancto Spiritu repleti sunt. Hæc ibi. Si barba Apostoli fuere, quæ ergo etiam vestimentorum ora? Namque unguentum descendens super barbam Aaronis, etiam, super oram vestimentorum ejus descendit. Psalm. CXXXIII, 2. fol. 751. lib. 16. cap. 3. Saliva in os ex capite labitur, ab ore vero ad ventrem ducitur. Quid ergo SALIVÆ nomine, nisi SAPOR intimæ contemplationis, accipitur &c. In ore gustus est, in ventre satietas &c. Ventrem meum saliva satiari, nolim. Malim etiam expuere salivam ex ore, quàm ore gustare. Et quis est salivæ sapor? Diversissimum verò sensum habet Jobi querela VII, 19. usque quo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam salivam meam fol. 796. lib. 17. cap. 13. Per SALIVAM infirmitatem carnis, quam dignatus est suscipere. Illa BARBA fortitudo divinitatis. Finem facio, quia in his explicationibus omnibus nihil certi video, & tædium averfor, quod, immorari diutius, potest suboriri.

§. LII. Id addo, esse, in Psalmo XXXIV, non pauca quæ explicatione perspicua ad Christum referuntur in Scripturis, plura etiam, quæ solide pieneque non possunt explicari, si ea non videantur in Christo compleri. Sed hæc materia fuerit discussionis alterius, Christum in Psalmo isto ostendere. Centrum namque omnis Scripturæ, JESUS CHRISTUS est, circa quod, & in quo, volvitur omnis vita nostra. Hic vero finis esto.